

7

In Holsatia Nobiles qui alios in duellis necaverant, et per annum aufugerant, petebant a Rege Danico Christiano IV. remissionem poenae gladii, sed Rex dicebat: Ego jussu Dei morte puniam homicidas, vultisne, ut Ego quasi homicida propterea per annum aufugiam, et postea per multam me liberem ex pravo more vestro.

2. Quaestio est: An et quatenus Nobiles in urbibus Prusiae forum sortiantur et possint judicari? Nobiles nonnulli putant Indignam et intollerabilem novam esse affectationem, ut Cives utpote statu inferiores, praesumant judicare super Nobiles, et quidem juxta statuta municipalia sua. Sed respondetur a Civibus, quod Magistratus Urbium in Polon: Prussia et aliis Regnis, perinde uti Magistratus seu Iudices Nobilium obtineant et exercent Jurisdictionem a Suprema Majestate. Ideo in actu officii non possunt tanquam statu inferiores contemni sine insigni absurdo Politico. Immo infra demonstrabo, quod juxta Jus Polon: Civiles Magistratus oppidorum exiguorum possint cum Capitaneis judicare criminaliter Nobiles.